

prolixior fuerim, prætereo; Vid. qui pluribus delectatur  
Wierum, Bodinum, Delrium, Schottum, aliosque. Ac-  
cingo me ad

## CAP. III.

TRADIT

# QVAE CIRCA POTENTIAM PASSIVAM DÆMONUM VENIUNT EXPENDENDA.

§. I. Cum in Cap. præced. 2. §. II. paucis sit dictum de creatione, an scilicet ea per absolutam Dei potentiam communicari possit Angelo, hoc in loco fusiis de eâ differere constitui, siquidem multos minitetur scopulos hæc difficultas. De Angelis autem quæro in genere, cum quid iis hac in parte possit competere & Dæmonibus posse vel saltim potuisse assignari autumo. Sit ergo

### Qv. I.

## AN POTENTIA CREANDI POS- SIT COMMUNICARI ANGELO?

Difficilis, multisque spinis obsita hæc est Controversia, ut jam est dictum. Quæ ut rectius instituatur, no-  
tandum I. Creationem dupliciter potissimum sumi, ( $\alpha$ ) pro virtute universalis creandi adæquata objecto creabili  
( $\beta$ ) pro potentia limitata ad certum ordinem vel speciem  
rerum creandarum. Notandum II. posse hanc virtutem  
communicari Angelo vel, ut causæ secundæ principali de-  
pendenter, si scilicet dependeat virtus illa à Deo, possit  
tamen Angelus vim illam iuactum deducere absque con-  
cursu speciali Dei juxta potentiam Dei semel ab ipso acce-  
ptam; Vel tanquam Instrumentali, si scilicet Deus Ange-  
lum